

Nisi in fine huius inquisitionis non dicetur quatenus exacte sint operationes theologicae. Attamen brevissima quaedam huius rei determinatio etiam praerogatur ne finem nostrum theologicum praetermittere videamur.

In genere ergo operationes theologicae ex obiecto specificantur; theologiae autem obiectum est in primis Deus deinde alia quae ad Deum ordinantur; Sum. theol., I, q. 1, a. 7 c et 2m.

Quare, illae certe sunt operationes theologicae quae tractant de Deo uno et trino, de creatione, de incarnatione et redemptione, de missione Spiritus sancti et de ecclesia Dei, de gratia, de virtutibus infusis, de sacramentis, et novissimis.

At ulterius theologia attingit Deum, obiectum suum, non immediate sed mediate. Hac enim in vita nescimus quid sit Deus, seu per essentiam Deum non cognoscimus, sed visionem beatam nondum habemus. Sum. theol., I, q. 2, a. 1; q. 12.

Huius autem obiecti mediatio est duplex: alia enim fit mediantibus creaturis, et sic in theologia naturali proceditur; alia autem fit mediante verbo Dei revelato per ecclesiam nobis proposito, DB 1792, et sic in theologia dogmatica.

Quare etiam theologicae sunt operationes quae respiciunt verbum Dei, nempe, revelationem, inspirationem sacrae scripturae, eiusdem interpretationem, traditionem catholicam, ecclesiae magisterium.

Praeterea, theologia non solum particularis quaedam scientia est sed etiam sapientia. Prout scientia est, de proprio obiecto inquit; sed prout sapientia est, omnia ordinat et omnia iudicat, Sum. theol., I, q. 1, a. 6. Unde et dicitur theologia esse regina quaedam scientiarum.

Quare et theologicae etiam sunt operationes quibus de loco theologiae inter totum scientiarum circulum determinatur, quibus de valore et limitibus aliarum scientiarum iudicatur, quibus theologia in suos fines sibi assumptis non caece sed critice quae in aliis scientiis determinatur.

Iam vero, ubi de aliis scientiis theologice tractatur, maxime ad duo genera attendendum est.

In primis ad disciplinas philosophicas: in statu enim naturae purae, non theologia sed philosophia fuisset regina scientiarum; quinimo, etiam in ~~reality~~ actuali rerum ordine, non desunt qui philosophiae primum locum attribuunt uti Hegeliani, vel philosophiam parvipendentes scientiis positivis summum honorem tribuunt.

Deinde etiam ad scientias humanas: eiusmodi enim scientiae tractant de sensu et ordine humanae vitae:

de sensu prout intersubiectivitate, symbolis, artibus, linguis, tur litteraturis, historiis, philosophiis, scientiis, religionibus manifestis
de ordine prout in familia, in moralitate, in societate, in educatione, in statu, in iure, in oeconomia, in technicis artibus exhibetur.

Erich Rothacker, Einleitung in die Geisteswissenschaften, Tübingen 1930²; Logik und Systematik der Geisteswissenschaften, Bonn 1947.

quibus scientiis quam proxime ad theologiam accedunt, quippe quae de sensu verbi Dei et de ordine corporis Christi mystici tractat.